Septimus Adavus & Adavia paterna

Illustriss. Princip. & Domini,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI,

& Dominorum Fratrum Ducum Würtemb.
Comitum Momp.

ALBERTUS Dux Saxon. Comes provincial. Thuring. Marchio Misniæ & Gubernator Frisiæ, natus patre FRIDERICO 2. Electore Grymæ ad Muldam Anno Domini 1443. 27. Jul. Anno ætatis undecimo, cum ERNESTO Fratre, ab equite Conrado Kauffungo, ex arce Aldenburg. raptus, sed divinitus servatus est. Princeps manu & armis promptus: Consiliis admirabilis: fortitudine in fervore bellico insuperabilis: Moderatione victoriæ, ipso hostium testimonio salutaris: Ab invicto animi robore, & magnitudine rerum gestarum vulgò ANIMOSUS: à Pontifice Romano, DEXTERA Imperii Romani: à milite Belgico ROLANDUS cognominatus: Gallos Belgio exturbavit, & pacem ibi restituit: Anno 1488. Infrenem Frisiam sub imperii habenas reduxit: Matthiam Regem Pannon. ad amplectendam pacem adegit: Imperii decus jam ruens, & bellicæ laudis gloriam recuperavit: Bohemiæ regnum sibi oblatum recusavit. Annabergam (hodiè proh dolor flammis exustam) condidit: In altera contra rebelles Frisios expeditione, ad Embdam decessit. Anno Domini 1500 Sepultus Misnæ.

Uxor ZEDENA, gemello partu edita, filia GEORGII POIEBRADI, Regis Bohem. Com. Bernecc. & Nidani, qui nec opum ostentatione nec periculor. metu, nec Pontificis Pauli 2. excommunicationibus à fua religione avelli potuit. Obiit ZEDENA, Anno 1510. ad latus mariti cum hoc epitaphio condita, auctore Fabritio:

ZEDENA BOHEMO de sanguine nata, Ducisq;
Saxonia conjunx intemerata fuit.

Candi-